S. Ben.

*in perditione*: ait S. Benedictus *Regul. Sanct. cap. 65. Corpus & terra.* Terram induunt tanquam formam. Intellectus voluntas & memoria nihil cogitant præter terram. A ſeipſis deficerent contemplantes alia principia. Nihil ſunt abſque corporibus & terra. Mens agitat corporis humani molem : cæterùm iſti abalienantur à mente. Iudicium mens & ratio adſunt cum anima : in his nihil niſi corpus & terra : quoniam audiunt duntaxàt placita gentium, & non clariſsima momenta rationûm.

*Nihil affecti cogitãt præter terram.*

Coràm Pilato ſiſtentem, quaſi vulneratum & percuſſum à Deo, ut ulceris primigenij ulceribus dilueret toxicum, vidimus humilem de cœlo medicum & mendicum. Cum verò ei præſes dixiſſet, *Unde es tu* ? Ieſus *reſponſum non dedit ei.* Meritò quidem. Cauſa manebat ſub iudice. Ad quid *Unde* ? Iudicem erudit fungi iudicatura, ſepulta patria : tacetque ad curioſam quæſtionem præſidis, dum cognoſcuntur obiter acta litis : ſiquidem cauſa conſerta fuit à iuſtitia de meritis, procul verò de incunabulis. Quid facit ad paginam *Unde*, ut patria cognita, palma, vel pœna diſcedat à cauſa ? Quid refert, ut præſes dicat, & profe rat iuxta leges iudicium ; ſcire reum hic, vel alibi natum ? Nihil refert : & Chriſtus non reſpondet, ut liberè iudicet.

Ioann. 19. 9.

*Iudicem reſpiciat cauſam, non glebam.*

15 Intentum præſidis demonſtrat Lucas. Ab actoribus præſes cognovit, quod tacuit veritas. Fige cogitationis pedem. Cauſa exponitur, & auditur. *Commovet* (dixerunt) *populum, docens per univerſam Iudæam, incipiens à Galilæa uſque huc.* Quid Pilatus? *Ut cognovit, quòd de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem.* Factum audivimus, & Auguſtinus in *Pſalm. 62. v. 2.* odoratur intentum. Accuſatoribus ſatisfacere innitens, tempus iudex terebat & operam. Haud exitum facilem furentibus cogitabat. Sycophantarum criminationibus nutat. Innocentia ignoti principis cæſpitat. Anceps inter duplicem Helicem titubat. Galilæum cognovit ; & callidè ad Herodem remiſit. Callidè, *ut illum* (ait Auguſtinus) *ex eorum manibus liberaret.* Si liberare, falsò inſimulatum ſatagit ; litem dirimat. Nullo modo. Effugium tutius remittere cauſam. Nec criminatores deſpicit, nec hoc elapſu candorem proterit. Ut faciliùs liberetur à calumnia vindicandus, Galilæus adpatricolam dextrè mittendus : ſiquidem in patriginæ tribunali, & grato iudice ; cauſa non diſcutietur iuſtiæ & rationis lance, ſed iuris nationis abſolutiſsimo pondere. Adducatur ad Herodem, qui primas in patria tenet ; igitur innocens, ſalvus, quantumlibet criminoſus, exibit. Nos vulgò diceremus : *Paraſacarle ſin mancilla de tanto abogo, remitir el proceſſo luego à un payſano.* Pilatus in eo nullam invenit cauſam : patrigena Herodes nec umbram. Vel ſine accuſati neceſſaria depoſitione, innocentiam dicit veſte. Commovet populum. Quid inde ? Soſpes Galilæus à Galilæo ; quamvis populum commoveat, & totum mundum huc & illuc ſubvertat.

Luc. 23. 1.

Verſ. 7.

Auguſt.

*In tribunali indigenæ ſalvus vel criminoſus.*

Luc. 23. 11.

16 Secutus eſt ſanè Pilatus politicam agendi rationem, ut liberaret agnum innocentiſsimum. Filij huius ſæculi ut tueantur lupum & truculentum, terram comedentem, cruori inhiantem, ovibus rictu oſtendentem ſpeciem ſanguinis, & demolientem mœnia ovilis dominici gregis. Propenſio iſtiuſcemodi omnibus nocua, facilitas venenata, ſtudium malignantium, & œſtrum zyzaniorum. Bonum ſemen ſeminatur in agro, non ſuperſeminet nequam inimicus homo. Quæ ſurſùm ſunt ſapite, non quæ ſuper terram : equidem ſœtent, & inimici Domini terram lingent. *Omnes in Chriſto unum ſumus, & ſub uno Domino æqualem ſervitutis militiam baiulamus ; quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum* : ait S. Patriarcha Benedictus ubi ſupra *cap.* 2. Florete flores, non vepres. Cœlum non inquirendum in valle lachrymarum. Apparebit oculis terra viſionum, & ſine fine imperium. Ibi felix, quem terra viventium tenet

*Origo vitiorum eſt huiuſmodi cæca dilectio.*

S. Ben.

*Mundum habitas, nec cura domum ſubit ulla*
*reverti,*
*Æternæ tantùm te capiat urbis honos.*
*Sic Ithacum præmiſſa manus dulcedine Loti*
*Liquerat & patriam, liquerat atque ducem.*

Andr. Alciat.

Dicimus ex Andr. Alciato *Emblem.* 114. Erubeſcat philaterreus audiens Ethnicum. *Emetiamur quaſcumque terras* (ait Seneca de *Conſolation. ad Helv. cap. 9.*) *nullum inventuri ſolum intra mundum, quod alienum homini ſit. Undecumque ex æquo ad cœlum erigitur acies. Paribus intervallis omnia divina ab humanis diſtant. Proinde dum oculi mei ab illo ſpectaculo, cuius inſatiabiles ſunt, non abducantur ; dum mihi Lunam, ſolemque intueri liceat :: dum animum ad cognatarum rerum conſpectum tendentem in ſublimi ſemper habeam ; quantum refert mea, quid calcem* ? Hucuſque Seneca. Hac itur ad aſtra : igitur ut canit Mantuanus *Carm. de Deo.*

Senec.

*Eſt requies illic, illic æterna voluptas,*
*Perpetuus ſplendor, gaudia, riſus, amor.*

Mant.

Anguſtus animus eſt, quem terrena delectant. Ad illa adducendus, quæ ſatiant hominem. Tunc felix.

)(o)(

*** *** ***

DI-



# DIDASCALIA X.

## *Quanto in maiore quis loco, tanto in ſuperiore periculo.*

1 AUguſtinus inquit in *Abuſib.* Axioma Politicoru vulgare, de quo eruditè Didacus à Saavedra in *Idea Princip. Symbol.* 50. ut captantes Principum difficilem fluxam gratiam impendentis periculi minitatu perdiſcant. Etenim ſequentes fumum, ambiunt ignem ; & ſitientes ſuperiorem locum, fulmen: miſerique cogitatis anfractibus occurrere intendunt Iovi, & cadunt fulgure. Quemadmodum Semele læti malo, emoriuntur amplexu.

Saaved.

*Gratia Principum fulmen.*

Ovid.

—— *Quantuſque & qualis ab alta*
*Iunone excipitur ; tantus taliſque rogato,*
*Det tibi complexus.*
*Non tulit æthereos : doniſque iugalibus arſit.*

Cecinit Ovidius *lib.* 3. *Metamorph. Fab.* 3. Nolite confidere in principibus. Fallax illorum gratia, & vana favoris pulchritudo. Plerunque elephantum adinſtar pondere meritorum digni ad lignum accedunt, ut quieſcant ; & terebrato ligno patet occaſio, ut miſerè corruant. Deciduum ferè Principis idolum, ruina, mole & ſtrepitu obruit & templum.

*Ruina.*

Abſtantibus aulicis coram Luſitaniæ Principe, ex his quidam laſſus ſtatione, caſu vel conſultò innixus feneſtræ cavitati ſtromate obtectæ, incubuit : decidit : cui labenti quaſi per iocum dixit Rex : *Iurè ruina : præmium utique inurbanitatis coram Principe.* At ille ſubitò ſe in pedes excipit, & ſalſe reſpondit. *Iſthæc crebrò fulcra palatij, & munera Regiæ.* Haud inidoneè pilæ pugilari conferuntur, ſiquidem nil niſi ventus. Aptior mihi videtur tubus papyraceus pulvere incendario confertus. An quia crepitat tantùm ? An quia flamma concepta ſublevatus abſumitur? Haudquaquàm. Tubo ſic confertur gratia: igitur qui gaudet favore, ſcire debet vel amburendam manum, vel tubum quàmprimum, vel ſplendet, dimittendum.

*Apophtegma celebre de Principum favore.*

*Similis tubo papyraceo, pulvere tormentario referto.*

2 Huiuſmodi gratiæ fragilitas oritur ex frequentiore mutatione affectus principum, quibus modò diſplicent ut inania, quæcumque dudum ſequebantur optabilia : igitur horum lex voluntas, maximè in ſuos, bene de ſe utcumque meritos, & gratijs confertim dignatos. Quam obrem ſuorum quilibet ſibi propinquior eligitur in dignitatis cœlum, non *quia maior, ſed quia propior* ut de Luna dicitur apud Silveſtr. à Petra-Sanct. de *Symbol. Heroic. lib.* 8. neſcitque inter luminaria indignè ſigne meritis aſſumptus, Lunæ adinſtar oculis obijci luminare minus.

*Indignus in munere non maior, quia maior.*

Petra-Sanct.

*Faciamus hominem* (ait Opifex rerum) *& præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs.* Piſcium & volatilium imperium fluat profectò: ſiccine etiam beſtiarum? Ad quid ergo in beſtias expreſsio dominij ? Si alitum volucrum natantiumque piſcium, & quaſi exterorum Adamo conceditur gratis imperium; potiore iure terreſtrium ſubintelligitur animalium, in terra propria ſuapte ſubditorum. Nullo modo. Conſultò igitur præſcribitur lex etiam ſubiectionis animalium in terra propria ; ne huiuſmodi ſubdita ad ſpeciem tantùm nanciſci videretur hominis præſidentia. Eadem in patria, & ex eadem materia factus homo & animalia. *Præſes*, dicere poterant, *Noſtras eſt*:quia noſtras,in quodvis,qualecunque connivebit, & ad ſubitum vivere. Nemo propior, nemo præſidi affectior : in beſtiaſque profertur ſignate hominis iudicatura ; quia plus indiget regimine propinquior beſtia.

Geneſ. 1. 26.

*Beſtiæ non liberantur à ſervitutis onere, propiores principi.*

Deinde. Transferuntur in homines huiuſmodi beſtiarum pronitates. Vellent eſtò beſtiæ non ſubijci, imò potiùs quia propinquiores principi principari:hominiſque in beſtias haud preſcinditur dominium ; ne excutiant telluris ratione iugum : quinimò ſine intellectu ſapiant, vel terrigena præſide non natas, ut principentur ; ſed ſicut equus & mulus, ut meritò ſubijciantur. Propinquiores præſidi. Utique. Subiectiores debent eſſe rationali conditioni : etenim dignitatis & principis turpe propudium ; propriores candidis calculis eſtò beſtias, elevari ad faſtigia dignitatis ; ut prævaleat pro libito iurè propinquitatis,quod dignè repellitur præſcriptione ſynderesis.

*Turpis collatio muneris, iure propinquitatis.*

3 *Acceſsit ad Ieſum*,aviditate fœminea, immemor futurorum, vellicatu præſentium, *mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans & petens.* Adorat, ergo petit. Haud facilè fœmina oblivilcitur vendicati ſibi honoris ; niſi memoria micantis commoditatis. In utilitatis obſequium impenditur ultrò ſumptus adorationum. Eva corruit adorationis decipula, ſiquidem bibit ridendo venena : & fœmina quamlibet prudens deſipit alogia, ſi brevi rimula præſumitur adoranda. Eva ſic: ſecùs verò Salome. Adorat. Næ. Faſtus ſexus oblivilcitur ? Minimè. Adorat modò, ut per filios adoretur. Supplici geſtu magis innoteſcit mulieris aviditas. Rapit harum pectora pellicatrix auctoritas : gratiſque fœmina cedit, vel in quo vincit ; quia nihili ſui pendet adorationem, ut modò quo potuerit ſurripiat utilitatem.

Matth. 20. 20.

*Fœmina abdicit faſtum, adorans emulamentum.*

*Acceſsit.* Quæ ? *Mater filiorum Zebedæi.* Si cum filijs ſuis acceſsit,cur ſuos ut filios Ze-

be-

*Subdola eius propoſitio.*

bedæi meditanter exponit ? Ut magis commendet filiorum merita, quaſi aliena proponens viſcerum pignora. Quaſi æſtuat princeps lubrico matris affectu, tanquam mobilitate, atque philautia perculſo ; ne præceps in dedecus iuſtitiæ decernat, quod palàm mater vehementer efflagitat. Plerunque ſuffragium matris patet ſuſpicioni : & dicitur non ſuorum licet ſuorum, ſed mater filiorum Zebedæi ; ut coactam ſeſe exhibeat aliena commendatione, non verò pellectam filiorum utilitate.

Verſ. 21. Chryſ.

4 *Quid vis* ? dicit Princeps munificus, *ut detegat ulcus*, ait Chryſoſtomus *Homil. 66.* in *Matth.* Ulcus libellus ſupplex ? Sanè. Vota etenim matris ſunt ulcera cordis, eò magis exitialia, quò dulciora, igitur mortis ſubitæ indubitabile præſagium, ſi non prurit in pectore pus confectum. *Quid vis* ? *Dic* ( ait ) *ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Iam enim ulcus verborum prolatione detegitur. *Collocandi erant ad Chriſti dextram miſeratione divina, ſed ipſi pernicioſa petitione cum damnandis conſtitui flagitabant ad ſiniſtram.*

Novar. Laur. Iuſtin.

Ita Novarinus hic *num.* 1027. ex Laurentio Iuſtiniano. Cum damnandis ſedentes in lateribus ſupremi Principis ? Quid pœnæ amplius in lateribus aquilonis ? Idem hercle. Latera Domini occupantur ab agnis & hœdis : his conceditur ſiniſtra in ignem æternum, paratum diabolo, & angelis eius : illis dextra in regnum patris, ut floreant in perpetuas beatitudines. Dextram ſingulis, etſi præcedat unus in præmio ( cùm vel fratres nequant eſſe pariter in eodem loco ) poſtulet affecta mater : quippe ſiniſtram poſcere, eſt proculdubio unum de filijs perire.

*Præceps matris affectus.*

Eccum cordis ulcus, & inordinatus in filios matris affectus : ſiquidem ſimplex voto, præceps conſilio, ſatagens ruinæ, proxima caſui, impos mentis impulſu voluntatis, exigit dilecto filio ſempiternam perniciem, intendens temporalem perfunctoriam dignitatem : quaſi parvi momenti conciperetur, eſſe cum diabolo, dummodò filius fungeretur throno. Hiſpan. *Como ſe logre la dignidad, importa poco que le lleve Beelcebub.*

Verſ. 22.

*Neſcitis quid petatis*, commendatis à matre, reſpondet princeps. Non eſt veſtra tuta voluntas. Vota corrigite. *Neſcitis.* Pœnam pro munere poſcitis : etenim neſcientes, quid ſit inter dextram & ſiniſtram, lethalem in pectore fovetis vomicam : qua rupta vivetis, qua fota peribitis ; ita ſubdolè ſerpente carcinomate in malum ; ut immedicabile iudicetur vulnus detectum.

*Vomicā. fovet.*

Ignis inſtar, poſt ruinam cognoſcitur ; atque ut fulmen poſt cædes auditur. Neſcitis vos filij quid petatis in caſum, ſolij fulgoribus deaurantes periculum. Mater igitur præpropera petitione, imperitia muliebri, pro vobis licet repulſis,

Virgil.

——— *Gravi iam dudum ſaucia cura,*
*Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

Virgil. *Æneid, lib.* 4. v. 1. Sufficiant obvia. Ergo ſcopo.

Chryſ.

5 *Quid vis* ? *Primatum cathedræ appetebant* : Ait Lyra, & Saa hic ex Chryſoſtomo ubi ſup. At Ieſus ſagittas ſuas ardentibus effecit. *Poteſtis* ( inquit ) *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum* ? Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt Domine, ſed plenus amaritudine ! Quo pacto concinnas candidatis amaritudinem, circumvolantibus anxiè in honoris dignitatem ? Calix in manu tua plenus miſto inclinatur ex hoc in hoc ? Quare ſic ? Amici, proximi, conſobrini ob munus accedunt : & meritò repelluntur, cogitantes poſſe aſſequi culmen honoris, iure vacuo & iniquo propinquitatis. Calix onus eſt, & calicem porrigit, cum illos ad thronos ſecurè dirigit : ſiquidem qui ad dextram & ſiniſtram proximi principi, proximiores fulmini.

*Propiores principi, ſuccumbunt oneri.*

Falluntur conſobrini ſpecie conſanguinitatis, nunquam non dilectionis humanioris allectricis. Terrena ſapiunt, ac ſpe excidunt. Sic mundus : Vos non ſic : etenim iurè non eliguntur ad munus miniſterij cœleſtis, quos revelat caro & ſanguis.

*Aſſumantur ex meritis, non titulo ſanguinis.*

Calicem quidem quia amici, & acerbum bibituri, ſi modò lenocinatur maieſtas throni. Diſcipulorum reliqui quamvis non conſanguinei circunſtant. Dotibus & agonibus gloriam expectant : fas non eſt, vos attingere culmina honoris, iure ſolummodò conſanguinitatis.

Verſ. 24.

6 Cæteri propoſitione ſimplici indignantur. *Indignati ſunt de duobus fratribus.* Accriter puncti, audientes iraſcuntur. Quid ſi ſubſellia, & coràm concederentur ? Indignantur. Rationabiliter quidem : anſam pigris, & ſtupidis craſſa Minerva, præberet huiuſmodi indulgentia nocua : quippequàm vacarent interventionibus ſimplicium, vel inſipientium fœminarum, haudquaquàm commendationibus meritorum. Si ſolij apicem exquiritis, nec dextra, nec ſiniſtra via patet regia. Dotum ſatagite : calicem bibite.

*Qui primatum appetunt, debent eſſe primi.*

Ita oportet pati, & intrare in gloriam ; quoniam ſine calice victoriam non habebitis, licet nanciſcamini palmam. Laboribus emitur, quod ſtudio cogitatur : & quiqui cathedræ deliberant obtinere primatum ; primatum debent etiam obtinere meritorum : ne dedecore principis, deſideretur in iuſtitia, quod diſpergit inconſultò nonnunquàm gratia.

Hieron.

*Putabant* ( ait Hieronymus hic ) *more hominum regnaturum* : cæterum falsò, ut noteſcit eventu : calicemque fidentibus offert, quo fons doloris ſcatet ; ut ſcirent ſe proximiores eſſe fulmini, dum cogitarent proximiores Iovi.

Verſ. 22

7 Nihil relinquamus intactum. Extricetur igitur teſtimonium. Merita in conſobrinis Chriſtus inquirit, dicens : *Poteſtis bibere calicem* ? Faxò dixerunt, *Poſſumus.* Quantumvis difficilia proculcat ambitus.

Ovid.

*In promptu regere eſt.*

Ovid. ubi ſupr. *Poteſtis* ? *Poſſumus.* Sit, mihi ( credite ) placet. Voluiſſe ſat eſt ? Qui dedit velle, dabit & ille poſſe ? Benè cuncta cadant. Audaces amor, & fortuna iuvat.

Verſ. 23

*Poteſtis* ? *Poſſumus.* *Calicem* ( infit Chriſtus ) *bibetis : ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.* At quibus paratum ? Duobus utique his, ut audivimus ex Laurentio, ubi ſupra. Nodus glomeratus.

*Non iudicis eſt reſpicere nomina, ſed merita.*

Qua lege collatio, aut diſtributio inter conſobrinos harum dignitatum non Chriſti, ſi ab ipſo his ſunt ſolia conferenda in æternitate ? Perbellè. Propinqui ambiunt indotati culmen ; ſed Chriſti eſt, dignos eligere dignitati : & dotibus caſsis, etſi generoſæ indolis, non eſt meum dare vobis. Vobis modò, non eſt meum. Modò non, quia non eſt meum titulo ſanguinis propios ſublimare ad altiora : meum verò, dare unicuique ſecundùm opera ſua. Nanciſcemini igitur culmina ambita dignitatis, illud horæ quo calicem biberitis amaritudinis. Modò non bibitis, ſed bibetis : veſtrum erit profectò culmen, dum biberitis.

Dum biberitis, ſedebitis. Amoris igitur crudelis inſigne, ut conſanguinei, amici, proximique non floreant dignitate, quia amici & proximi; dummodò digni. Dum biberitis, ſedebitis. Verùm quare ? Non hominum more regnat, ſed præcavet excuſationem frivolam inclinationis in proprios, qua allicitur, & purgatur affectus. Spe profectionis ad munera propinquos aſſumunt, humeroſque etiam ad portandos ſupponunt : Chriſtuſque calicem bibituris propinquis protrahit dignitatem ; ut dignitas habeat electorum dotibus ſplendorem : quandoquidem ad ſolium promovendi, qui digni clareſcant ; ſecùs autem eligendi, qui digni fiant.

*Ubi adſint merita, conferenda munia.*

Præſules ſequitur crebrò iſthæc aoraſia. Non eligunt dignos in miniſteria, ſed nomina. Officia bonos faciliùs recipiunt, quàm faciunt. In ſcholam virtutis admitti poſſunt homines ſpe proficiendi; in ſcholam verò regiminis non probandi, ſed probati. Vide Mellif. Doctorem de *Conſid.* ad Eugen. *lib.* 4. *cap.* 4.

8 Abſceſſum corporalem euntis ſupremæ maieſtatis in cœlum, Chriſtus Dominus ſuffecturus per vicarium ; quæſtionem excitat difficilem omninò diſcipulis, ut ad munus clareant merita cognitionis.

Matth. 16. 13.

*Quem* ( inquirit ) *dicunt homines, eſſe filium hominis* ? Quot capita, tot ſententiæ. Alij, dixerunt, Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam.

*Opinio non ſemper favet dignitati*

Spretis ergo vulgi opinionibus, veritatem colore affectuum ubique fucantibus ; *Vos autem* ( inquit ) *quem me eſſe dicitis* ? Non *qualem*, ſed *quem* inquiro.

Verſ. 16

Silentibus hauddubium cæteris vertex dixit Collegij Sacri : *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Adequatè. Sapientes natura conſtituit iudices, maximè ſi ſapientiam comitantur mens, & prudentia ſorores : Petrumque Chriſtus Vicarium ſingulari diſcretione ſubſtituit ; quia in quæſtione relata plus cogitando cognovit.

Verſ. 19

*Tibi* ( ait ) *dabo claves regni.* Aliqua dixi in *Scen. Sacr. Tom.* 1. *Orat.* 6. *num.* 3. Verùm addenda plura. Intende.

9 Priuſquàm primario Didaſcaliæ intento reſpondeamus ; operæ pretium duxi in Principum commodum, & utile lucrum, brevi paraphraſi percurrere teſtimonium. *Tibi dabo claves regni.* Q. d. In regno tibi dabo claves. *Claves.* Non unicam ; ſed ligandi, atque ſolvendi : ſiquidem in mundi aulica agendi ratione, clavis traditur, ſuppoſita ſuperiore ſingulari : quamobrem vicarius claviger fructuoſum ſuſpendit prorogatione decretum ; quia ſuperiore clave ſubdolè ſigillatur occluſſum.

*Præſes eligatur dominaturus, nullatenus dominandus.*

Frequenter enim non eligitur, qui dominetur clavibus; ſed qui turpiter obſequatur in dignitate electoribus. Titulus ſine re alis papilionis deauratior, atque libertas omni ſervitute deterior. Clavem tribuit, qui in alio, & per alium ſine clavibus principatur: atque claves non habet, quicumque nutui electoris ſummittitur : unde claves conferuntur præſidi Petro ; ut liber ſciat tradito principatu, eſſe quicquid geſſerit, geſtum ; ac immutabiliter quicquid fecerit, factum. Qui bonus electioni, bonus etiam erit regimini. Non opus eſt in tam exiguo tempore tanto tutore : ergo qui furtivè exhibet ſibi per alium adminiſtrationem, in miniſterio ſucceſſori exhibebit ſemiclavem : etenim collatis clavibus ut liget, & ſolvat ; non habet claves, quibus aperiat & claudat.

*Aliter negatur iudicio, quicquid probavit electio.*

Sicut hæres parvulus erit, & inanis dominatio: ſub tutoribus, & actoribus nihil differet à ſervo.

*Claves* : igitur aliàs reſpectivus conditione principatus, atque imperium nomine tenus. *Claves*, quarum munia repagulis iuris, ſeriſque rationis, inſignia ſtabunt traditæ pro merito dignitatis. *Claves*, ut ſolvas, ut liges ; ut aperias, ut claudas ; ut definias factis, ut ſuperſedeas infectis. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna : ut evellas,

*Quòd fa-ctum à præſide factum.*

& deſtruas, & diſperdas, & diſsipes, & ædifi-ces, & plantes; quin vacillet deliberatio gratiâ clavis ſuperioris: etenim in decorem dediti culminis, univerſum quod ſolveris, erit ſolutum; atque quicquid ligaveris, erit ligatum.

*Intendat in munera, ſubditi in merita.*

10 *Claves tibi. Tibi*, qui me confeſſus es non glorioſum in Thabore, ſed exinanitum in Cæſaræa Philippi. *Tibi*: ſiquidem extra te tutemet mihi conſulis. Non enim revelavit caro & ſanguis. *Tibi.* Tu mihi & ego tibi ſic: feciſti enim undecim ſtellas adorare me. *Tibi*: prima ſedes primati debetur, & dotibus illuſtribus auctoratur. Incumbam ſedulò dignè remunerationi: incumbant cætera tibi.

*Tibi dabo claves. Dabo.* Ecce documenti ſcopus. Non *do*, *dabo*. Omnium utique ſum Dominus: me coràm non eſt vicarius. *Dabo.* Decolor ſubditis levamen, videre ligatum præſidem. Quantum in me doloris, ubi ductus fuero funibus ligatus ad Pontificem? Amplioris articulus amaritudinis, ſi ligatus Pontifex. *Dabo.* Non das? Minimè. Non paria merita, & munia. *Dabo*, cum æqua lance ſtatera iudicij conſtet dotibus & muneribus. Ad mare Tiberiadis dicis Petro: *Paſce oves*: & modò tantummodò, *Dabo claves*? Num quia hìc quantoperè cognoſcit, & ibi diligit? Sanè. Culmen obtinet, non qui dixerit, ſed qui fecerit. *Sæpe invenitur* (ait Gregorius Magnus *lib.* 27. *Moral. cap.* 1.) *qui ſupra ſe loquendo emineat, & infra ſe vivendo torpeſcat.*

*Æquilibrium cœleſte donum, & munerũ.*

Gregor. Magn.

Inſuper. In Cæſaræa probatur, & in littore maris iam tentatus eligitur: hìcque ultrò confertur poſſeſsio culminis, cuius Chriſtus dudùm promiſerat claves: quippequàm ut proſint, qua funguntur, dignitati; non probandi, ſed probati deligendi. Quomodò obiens ſine experientia faſtigium, & ſublevatus in thronum, ſeſe regimine gereret; qui adhuc ſpe lactatus, mulieris voce perculſus miſerrimè corruit, & fidem negavit? Eligendi igitur probentur, ut ſecurè provehantur.

*Non probandi, ſed probati deligendi.*

11 Viam paraphraſi fecimus, ut oculis obijciatur probus prælatus. *Diligis me plus his*? Illi dixit cœleſtis Præceptor. Aptè ad regimen *plus his*. Maximus, quia optimus: eligitur magis dignus. Nemo dignus reſpectu dignioris; atque ex his eligitur, qui plus meretur. Obiter obſerva quid Petrus reſpondeat: igitur latent digna ſcitu arcana in emphatica inquiſitione Dominica. Primùm dixit: *Diligis me plus his*? Et illicò munus Petro committitur: *Paſce*, dein. Modò perpende. *Diligis me*? Denuò interrogat, ommiſſis & *his*, & *plus*. Ergo ad quid? Profundè. Plerunque in diſtributionis articulo, & promotionum puncto commoda proſpectæ futuræ dignitatis variegantur à philautia coloribus dilectionis. Utilitas volat, affectus varicat. Unde ut cognoſcat intuitum, interrogat Chriſtus Petrum, *Diligis me plus his*? Diligis? Diligo. *Plus his*? Plus. *Diligis me*? Hoc opus, hic labor. *Tu ſcis*, reſpondet. Ad rem: ſæpe in expectatione principatus, datur ambigendi locus. Dilectio & cæteris amplior, ſat eſt: verùm erga eligentem ::: Deus ſcit. Haud eſt dubium in dilectione, ſed in dilectionis qualitate. Diximus aliqua Tautol. 1. Didaſc. 14. num. 16. & 17.

Ioann. 20. 15.

Verſ. 16

*Diliguntur dignitates, non electores.*

Ibid.

12 Minimè in tranſcurſu commoremur. *Diligis me plus his*? Ideſt, ut notat Bernardus *Serm.* 76. in *Cantic. Pluſquàm tua, pluſquàm tuos, pluſquàm & te*? Gradatim aſcendit. Fortaſsè laborioſum non eſt homini, relinquere ſua: ſed valdè laborioſum relinquere ſemetipſum. Minus quippe eſt, abnegare quod habet: valdè autem multum eſt, abnegare quod eſt. *Ad cætera contemnenda* (ait Seneca Epiſt. 66.) *à contemptu ſui.* Eſtò. Benè quidem cautum: ſæpenumerò propter vana mundi, qui patulis auribus nugarum crepitacula pulſat, ignem ambitionis ſummittit, ut corda electorum ipſa flamma frigeſcant. Intende. *Pluſquàm tua, pluſquàm tuos, pluſquàm te.* Ordinem in verto. *Pluſquàm te, pluſquàm tua, pluſquàm tuos.* Cur igitur? Quid magni faciet in oblivione ſuorum, qui ſua ultrò reliquit, & ſemetipſum? Quia videtur potius: ſiquidem qui ſe, ſuaque ſponte abdicatione reliquit; amore ſuorum obtenta dignitate, furenter deſipit. Laborioſum utique eſt relinquere ſemetipſum. Præut ſui quemque percellunt, non laborioſum: ob ſuorum enim titivilitiam quamlibet utilitatem, deſerit ſuarum rerum, atque ſuorum pœnitentem factorum.

Bern.

Senec.

*Magis urget ſplendor familiæ, quàm ſtimulus philautiæ.*

Ideo dicit Præſul divinus præſidi: *Paſce oves meas.* Non aliter tradidi tibi claves: etenim non tuis, ſed meis conſulere debes. Non ſolùm pluſquàm tua, pluſquàm te, verùm etiam pluſquàm tuos, erga me prominebit affectus: quippequàm in malum & ruinam ſua, ſeque deſerunt; ſed ſuos faſtigiati nullo modo relinquunt. Hem! Inordinato undecunque amore ſui, ſuos diligunt pluſquàm ſe.

Verſ. 18

13 Votum Agrippinæ pro filio Nerore loquitur. Vide Sueton. in *Neron.* Novi herclè, quæ dixit conſcia inauſpicati, utpote diſparis matrimonij; *Modò Duciſſa videar, inteream.* Non interijt, quia ſors evanuit. Suos ſibi præpoſuit, & periculo capitis. Largè in proprios indulget animus, & læditur perſpicacior intellectus: cui quidem eiuſmodi propenſio eſt ſine inſania phreneſis, atque ſine febris ſtimulis deliquium capitis: ni dicam cordis; quippe lubet inſanire, in cerebrum ſerpente pectoris ſanguine. Unde pluſquàm ſuos (ut ſuos quoque præſes ſubijciendos cognoſcat, atque ut par eſt, ſicut cæteros regat) præſcribitur Petro diligere creatorem: ne ſui parviſaciant culmen, & præſidem; crepitantes illo præſide præeſſe, & præſidem indulgere, pro lubito vivere.

*Votum ſingulare fœminæ.*



*Affectus in proprios ania.*

14 Ad maledicendum populo Dei vocatur Balaan. Diris etiam vulgus Iſraëliticum benedicendum, ſiquidem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nuncij Regis Moab venerunt, & maiores natu proceres Madian. At Prophetes *ſtrata aſina ſua profectus eſt. Strata* cogitaveris: ideſt, ſtapedibus, clitella cum antilena, poſtilena, ac capiſtris. Providè: ſtramine ſeſſores aſinos regunt: ſecùs verò à iumentis vectoribus vecti reguntur. Per aquam ſignatur ſapientia, per aſinum ſtultitia. Verum hem! Plerunque abſque miraculo periti & docti bibunt Samſones de *maxilla aſini.* Urget Vates aſinam, quæ avertit ſe de itinere trito, videns Angelum minitantem ſtricto gladio. Præſes verberabat: quippe ſtudium eſt rectoris, reducere ad ſemitam aberrantes. Renititur aſina, vatiſque exhauritur patientia: quatit virga, ſiquidem illa contrivit ſedentis pedem adhærentem ad locum anguſtiorem. Proritatum enim animal, licèt iumentum, vel ſeſſorem procul excutit, vel ſuccumbit oneri.

Numer. 22. 21.

Iudic. 15. 16.

*Non regantur præſides à ſubditis, maximè ſtolidis.*

Attrivit mantis aſina pedem, & ariolus dolore punctus, vehementer iratus cædebat fuſte latera eius: quæ quidem ita locuta: *Quid feci tibi*? Locutione magis percellitur, & ictibus crebris agitat, verùm illicò ceſſat. Quare? Illa dixit: *Nonne animal tuum ſum*: Quænam hominis prudentia, quem docet aſina? Perpende. Placatur oratione ſecunda, qui magis commotus prima; qua quaſi ratione reſpondit bili ebullienti, cùm poſterior periodus convincat frivola ſtoliditate? Placatur, quippe cauſa non frivola. Blanditur hominum genio, & illud articuli potiſsima ratio. Suum igitur cognoſcere aſinum, ſtatim ſuſpendit flagellum. Dolor abdicitur, pedis attritione vel petitus mulcetur: & ut providit ſuam eſſe, loquique aſinam; neglexit ad rectam reducere ſemitam. Spaſmus, vel privilegium ſolet eſſe decretis præſidum. *Nonne ſum animal tuum*? Modò ſe confiteantur ut ſua; indulgentur, quantumvis calcitrent, recalcitrent, pervagentur iumenta. Patet. Primò aſinam virga quatit: ſuam dixit eſſe, & ſuperſedet. Quid hoc? Nugari ſeſſorem, & ſuorum nullatenùs geri præſidem: etenim rector iumenti Balaam, mantis & diaboli viva vox, divinuſque Beëlcebub, quia ſuum animal, currere connivet, quocunque ierit. Sanè ſenex fatuus & inſenſatus & pluſquàm aſina ſtolidus: igitur quia ſuum iumentum, non debebat excutere præſidis iugum.

Ibid. v. 28.

Verſ. 30

*Affectus in proprios non affectus, ſed furor.*

*Obſtat ... rationis decretis.*



15 Haud in hoc cardine ſumma rerum vertitur. Sequela iſtiuſce indulgentiæ gravior. Officioſo ſtudio dextrè dilectos ſuos præſes onere levat, alienos ut infenſos alienis incumbentijs iniurioſè gravat: ita ut in paucis indigitetur collectum, quodcunque oneris quàm pluribus ſtabilitur ſparſum: unde Chriſti iumenta non queruntur de iniuncta ſarcina, ſed vociferantur gementia præ dolore de mantiſſa. Dorſa præbent præſidi ad pondus præſcriptum; at excutiunt ſuperpondium. Frement & meritò imperio furentis affectus: igitur quomodolibet *abominabile pondus*, *& pondus.*

*Mantiſſa lædit, nonus.*

Prov. 20. 23.

*Quare fremuerunt Gentes*? Inquirit David. Reſpondent oppreſſæ tyrannicis exactionibus, iniuſtis regibus, & principibus: *Proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Cogita ly *à nobis* & *iugum ipſorum.* Si ipſorum iugum eſt, unde querimonia? Meditantur inania: quinimò tricis involvuntur verborum; cùm minimè proprium, ſed alienum ſit iugum. Nequeunt revera proijcere, quod ipſi fatentur ab alijs portari. Queri iurè poſſunt, quippe defatigantur onere Principum. Superimpoſita ſarcina gravat onerata iumenta. *Noſtrum iugum* ſi dixiſſent, deficerent à propoſito: *Iugum ipſorum* dicto, queruntur de ſuperpondio: & cogitantes ſervitutis iugum, dicunt appoſitè, *proijciamus à nobis iugum ipſorum*: ſiquidem illis decernitur ſuperimponi, quod ab alijs debet ſuſcipi. In æquo ſtateræ momento cognoſcitur affecti & infecti cordis irruptio. Ut in æquatore iudicium ſiſtat, nec plus nec minus dilectio diſcernat: igitur quicquid unum attollit, alterum deprimit. *Ne quid nimis*, ait Legislator Monachorum Benedictus Pater meus *Regul. Sanct. cap.* 64. Quod prius dixerat Terentius in *Adria*, *Act.* 1. *Scen.* 1. v. 34. quadratque propoſito. Audi.

Pſalm. 2. 3.

*Importabile cunctis iugum alienum.*

S. Ben.

——— *Nam id arbitror*
*Apprimè in vita eſſe utile, ut ne quid nimis.*
*Sic vita erat: facile omneis perferre, ac pati.*

Terent.

Et Scena in *OEdipo. Act.* 4. v. 896. *mis*
——— *Ac falſis ni*
*Imperat pennis.*

Senec.

Libra ſit præſes iuſtitiæ, ac ſpeculum Nemeſis, conſulens ſubditis: qui quidem ſcire debent licet propiores præſidi, ſubditos vivere. Secùs verò iurè invenire fulmen, ambientes Iovem. Cogitare munus eſt præſidis, non ſuis eſſe propinquum, ſed ſuperiorem; excelſioremque ſeipſo præcellere dignitatem: eſſeque eius curæ, quòd propriores & propiores non libe-

ſiberentur ab onere ſubiectionis, nec iugum quatiant procaciter ſervitutis.

## DIDASCALIA XI.

### *Immedicabile vulnus enſe recidendum.*

Ovid.

1 VOx Iovis uſurpata frequenter à Magno Conſtantino, ut refert Natal. Comes *Comm.* in *Metam.* Ovid. ubi infra, in ſummoque plauſa Senatu, utpotè ſententia divina à Iove lata, ac in auguſto Deorum conſilio prompta; uti canit Ovidius *lib.* 1. *Metamorph. Fab.* 6. Cui aſtipulatur Claudianus lib. 2. in *Eutrop.* v. 13. dicens.

Claud.

*Ulcera poſſeſsis alta ſuffuſa medullis*
*Non leviore manu, ferro ſanantur & igni.*

Pars ſincera à pereunte trahitur: ut ſartum-tectum ſit Reipublicæ corpus, quicquid peſtiferum amputetur. *Nihil ſibi latius, ac iucundius ſpectaculum* (dictitabat N. Caſtellæ Regina Catholica Eliſabetha) *quàm trifur in furca, craſcula iactans.* Ita Sanctius *de Rebus Hiſpan.* Quod quidem falsè videns fœminam impudicam pendentem ex olea, feſtivus Diogenes Cynicus dixit: *Bellus fructus! Nuſquam oliva pulchrior, formoſior, uberior, obeſior, & craſsior* (Ita Laërtius in *Diogen.* & Eraſm. *Apophthem. lib* 3.) *Utinam arbores reliquæ ſimilem ferrent fructum!* Perperàm enim probis elargietur Reſpublica emeritum tot laboribus faſtigium; ſi arripitur ſæpe criminibus improborum: & ut rutilet civile viridarium floribus venuſtioribus ſpectandæ virtutis; proculcandum, proterendum, comminuendumque ſtirpitùs lolium malignitatis. Quoſdam utiles, bonoſve eſſe præſes gaudeat: quoſdam in numerum conſultò relinquat: quoſdam patiatur: ſed ultima ſupplicia ſceleribus ultimis ponat; *Ita ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* Vide Senecam *lib.* 1. de *Ira, cap.* 5. Quid Reipublicæ læſæ intererit, ſi eius qui nocet? Sanequàm virulenta monſtra nunquàm ſpectabiliora, niſi cùm fuerint extincta. Unuſquiſque igitur ſibi gratulatur de ſalute, ſuſpenſo ſerpente. Signum in ſtipite Iſraëlitis, ſignum ſalutis, ſpecimen incolumitatis. Qui ictu, illo coràm reptante extinguuntur; in pertica pendentem aſpicientes, ſanabantur. Multis quidem phylacterium, ſanis verò alexipharmacum. Diſcite iuſtitiam, ac primi præſidis contemplamini excellentiam.

Sanct. *Trifur in furca ſpectabilis.* — Laert. Eraſm. — *Ultima ſupplicia ſceleribus ultimis.* — Senec. — Numer. 21. 9. *Suſpenſio ſerpentis ſignum ſalutis.*

2 *Faciamus hominem ut præſit*, &c. dicitur ab Opifice ſummo. *Ut præſit.* Modus regiminis indicatur ab Anaſtaſio Sinaita *lib.* 7. in *Haëmer.* ubi dicit: *Qui dominatur animalibus, & piſcibus & volucribus iuſſu Dei; dicit Leoni, Veni, & venit: & Aquilæ, Ingredere, & ingreditur: & Piſci, Appropinqua, & obedit: & Draconi, Pereas, & ſtatim expirat.* Aliter reptilium, quàm aliorum animalium obtenditur regimen. Ni perierint, perimus; unde illorum conſortium enſe iuriſdictionis recidendum: etenim præſes cùm draco medius crepat, aſpidem calcat, baſiliſcum proterit, dipſadem cædit, viperam diſrumpit, ceraſten ſuffocat, colubrum enecat, reptiliaque venenata ſuſpendit; inde glorioſior in regimine claret. Nullatenùs coram hominibus veniant, appropinquent, progrediantur. Terram imò comedant, corpore ſerpant, & ut par eſt, extenuentur. Utinam confundantur, & properè! Sanitas cuiuſnam tuta vicino ſerpente? *Mox ut peccata* (quaſi reptilia iubet Glorioſus Benedictus *Regul. Sanct. cap.* 2.) *cæperint oriri, radicitùs ea, ut prævalent* (præſul) *amputet.* Statim: quippe niſi avertantur, ſana quæque pervertentur: & radicitus; quoniam ſi prævalent, prævalebunt. Avertantur igitur à rationalium conclavi, rumpantur licet.

Geneſ. 1. 26. — Anaſtaſ. Sinait. — *Serpentiũ ruina, Præſidi gloria.* — S. Ben.

3 Obſervavit Stoicus Cordub. *lib.* 2. *Quæſt. Natur. cap.* 13. vim fulminum in ſerpentes. *Malorum ſerpentium* (infit) *& aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt, cùm fulmine icta, venenum omne conſumitur.* Ideo fulmine triſulco brachium ornabatur Iovis, ut reptilia fugerent à facie præſidis. Ignis igitur præcedat, ut venenata conſumat: quanvis invita Minerva, cervice incurva, & natura pernicioſa, ita malo gaudent, præſtant, & æſtuant; ut vitam potiùs, quàm venena deponant. *Fulmine icta* (ſubdit idem ibid.) *intra paucus dies verminant.* Cautio præſidi præfigitur iſtarum harum tipularum, & crudelis indulgentiæ in calliditate horum inſectorum. Ventrem igitur armato toxico complent, & vermibus uberrimè ſcatent. Quid non, abdicti, vel indulti lethali flatu venenigeri homines cruciant; ſi intra paucos dies vel icti fulmine verminant?

Senec. — *Venenoſa ſemper nocua.* — Idem.

Pontus fluvius Thraciæ ardentes habet lapides, qui contrariam carbonibus retinent naturam: ait Raviſ. Text. in *Officin. lib.* 7. *cap.* 14. Vento enim extinguuntur, in aqua verò flagrant: quo in loco nulla reptilia vagantur. Symbolum næ vividum, eſtò mutum documentum. Sæpenumerò flamma virtutis vento extinguitur vanitatis: flammaſque amor plus ſummittit in pectora, quoties ingratitudine magis obſtrigillant corda. Unde conflagrare facit mutuam dilectionem, quia aquæ multæ non poſſunt extinguere charitatem. Reptilibus ergo adverſantur lapides, qui in ſapientiæ flumine obumbrant vividè præſides. Vafri homines, viri callidi, induſtrij, Principis aptantur ingenio. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* Nihil mali ſuſpicatur in ſtellionis facie conſpicua, ſed adinſtar baſiliſci pungit à cauda. Superior igitur ſit offenſionis lapis adversùs morſus ſerpentis, ſeu *Lapis oneris*, qui quoſquos invenerit (reptilia procul recedant) in fruſta concidendo confringat. Super quos ceciderit, alliſionibus conterat. Nulla ſanequàm ciconiæ ſapidior eſca, quàm invenire lacertam: nec amplior lapidi principi gloria; quàm deſcendere de monte, ut comminuat ſtatuam.

Raviſ. Text. — *Lubricus virtutis ſplendor.* — *Amor in ingratitudine flagrat.* — Eccli. 19. 23. — Zach. 12. 3. — *Superior venenatis ſit lapis oneris.* — Dan. 2. 34.

Delectetur adhuc infans, quemadmodùm Alcides, ſuper foramine aſpidis, & mittat manum in caverna reguli, ut trucidet; ne petra ſit refugium herinacijs. Petro dicitur, expanſo ſerpentium linteo: *Surge, occide*: ſiquidem atteſtatur vigilantiæ, decorique Principum occiſio cum exterminatione ſerpentium. Nullis latebris ſinat. Cervi inſtar, ut ait Ælianus *lib.* 6. *Hiſtor. Animal.* cap. 11. è cuniculis extrahat: perpende.

Act. 10. 13.

Solorz.

*Iudicis en munus: nullis delicta latebris.*
*Tuta ſinat: virus detegat arte latens.*

Ita Ioann. Solorz. in *Regiopol. Emblem.* 70. Adhuc in latebris? Etiam. Non fugiunt, ſed ſubterfugiunt arte, & ſubdolè; ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Minimè Princeps prætermittat ſerpentium toxica; quia venena licet ſubdita, venena: & quicquid indulgens abdixerit permiſsionis, luet ſanè punctus amarulento veneno ſerpentis.

*Serpens ſemper ſerpens.*

4 Præſes reptilium etiam conſtituitur Protoplaſtus. *Ut præſit ::: omni reptili. Omni.* Tanti refert. Reptilium genus præeſt, niſi ſubſit. De quo latè *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 10. *Omni.* Si omnium præſes fuiſſet, præfuiſſet: nec ſibilo labaret, nec morſu corrueret. *Omni.* Aliquid innuit. Ibi manum adhibemus, ubi dolet: expreſsio ergo dominationis, certum quid indicat explorati diſcriminis. Verùm unde? *Ex quo* (diſſertè loquitur Haye hìc in *Arbor. Vit. concept.* 703.) *inter hominis ſubditos ſerpens humi reptans apparuit.* Si ſerpens ſubditus, quodnam incommodum? Maximum: ſerpit humi humiliationis ſpecie, ut eius conditionis præſes commiſereatur, & aculeo verſutè inflicto quantocyùs exanimetur. Serpit, ut non ſerpat, vel ſocios habeat. Plerunque virus obtrudit, ut fortiùs evomat: & ex quo præſes indulſit, ut ſerpens eſtò ſubditus coràm procederet; dominij præſagitur lachrymabilis ruina: igitur pavere, & cavere pericula debet, inter venena, licet videantur ſabacta.

Geneſ. 1. 26. — Haye. — *Quamvis venena ſubdita, venena.*

O Principum infelicem ſortem! O deauratum adoratione diſcrimen! Gratulabatur ſibi diabolus, hominis iactans excidium, ſimulac habuit ſubditum callidè venenatum. Quid erit in cœlo dignitatis Carcinus, ſi in terra retrogradiens, vel nocentiſsimus? Quanta amaritudine coluber videns ſubiectum toxico præſidem, graſſaretur volans ſubdola arte; qui tantum malum intulit ſerpens humi? Plus enim carptim officit, dum nocumentum officiosè latet: & debacchatur longè latèque peſtis, ſpecie rutila ſtudioſæ ſubiectionis. Sæpe claudicat nimia familiaritas, & eſt ſuſpecta inuſitata comitas. Reverentia & confuſio in Sacr. Liter. multoties cohærent. Vide quæ diximus *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 5. *n.* 13. *Induantur confuſione & reverentia*: inquit Pſalmiſta. Vipera ſerpente, & reptilium venenatorum ſubiectione; congruum utique, omnem reverentiam obſervare: quippe ni ſuſpicetur ſerpentium ſubditorum (adorantium invitè) ſagacitatem; convertetur reverentia in Principis confuſionem.

*Virulenta comitas quænam?* — Pſalm. 34. 26.

5 Reflexione opus eſt. In hominibus reptantibus pondere flagitiorum, latet (fallor) patet, quod in colubro virus totum quantum. Serpens extra paradiſum erat; igitur murus igneus circunſtabat. Deltium *Tom.* 1. *Adag. Sacr.* 789. Rupert. *lib.* 3. de *Trinit. cap.* 2. Moyſen Barcepham de *Paradiſ.* Pererium in *Geneſ.* lib. 3. & Maluend. conſulas. Mulier vaga ſepi accedens, curiosè excogitavit, qualiter extra paradiſum mundus ſe haberet. Lethale penitus ratiocinium, ubi inſidiatur centoculum baſiliſci venenum. Mulieri appropinquanti obviam it, quaſi obſequens, & blanditur circulatim accedens, perinde ac accedere timens. Acceſsit: fœmina indulſit. Ruet proculdubio præceps genus humanum; ſiquidem placidè ſerpenti concedit acceſſum. Connivebit ſanè ingredi, ſi permiſit accedere.

*Princeps venenatis interdicat accedere.*

Præterea. Serpens proximus loquitur, & callidè. *Dixit* (ait Moyſes) *ad mulierem: Cur præcepit?* Obſerva *Dixit*: Loquitur ſerpens? Fœmina corruet. Serpens dicitur à *muſsitando*, notat Oleaſter hìc. Aptè ſerpentes dicuntur muſsitationes cùm à morſu, tùm à flatu, undequaque & ubique lethifero. Fœmina corruet: igitur ſerpenti audaci os indulget aperire; cui, illa coram uti principiſſa, non licebat muſsitare.

Geneſ. 3. 1. — Oleaſt. *Imò muſsitare.*

Deinde. Colloquium inſeritur inter fœminam & ſerpentem, nec illa horret: ſerpens enim dæmonium habet. Quanvis coluber homini ſubditus, tamen non proximus, nec

*Reptantium ingreſsio, eſt ſublimiũ expulſio.*

cum illo converſatus : eò profectò minus nocua venena quò procul expulſa. Serpens antiquus paradiſi ingreſſum optat. Fœmina conatum minimè refutat, ignorans expulſionem fore Principum, ambitam introductionem ſerpentium : gaudetque diabolus unius ſerpentis acceſſu, pluſque complacet colloquio: quoniam etſi brevi rimula, unicum prætagit ſufficere ſubditum venenatum, ut dextrè pervertat & ſubvertat univerſum.

*Iudex uxoratus in uxore ſuſpicetur colubrum.*

Inſuper. Serpens hominem per fœminam pungere intendit, & obtinuit. O Bone Deus! Ab hominum memoria hoc malum ſerpit. Iudex & præſes conſtituitur reptilium omnium Adamus, & uxoratus colitur paradiſi præpoſitus. Iſthanc enim iannam policitis vel inanibus pulſant ſerpentes; quia plerunque iudices decipiuntur per uxores. Fervor igitur aviditatis in fœmina venena concoquit, nec queritur de malo, turpi ſtoliditate : præſidis utique virga inſtar virgæ Moyſis, devorare debet virgas ſerpentes. Promiſſa fœmina curioſè cogitavit, quæ quidem placuerunt oculis ; ſed non audet interdictis. *Præcepit nobis* (ait Eva ſerpenti) *ne tangeremus*. Mentiris.
Verſ. 3. Non, ſiquidem ſubintelligitur : proculdubio offenderet guſtus, in præcipiti lubrico periculo tactus. Vide *Tautolog. 6. Did. 1. num. 5.*

Chryſ. 6 Subinde. Eva non abhorret à conſpectu ſerpentis. An quia domina? Ita Chryſoſtomus *Homil.* 16. in *Geneſ.* Nunquam & nuſquam venenatos ſubditos compeſcit auctoritas, vel ſupprimit principatus maieſtas. *Sciens Eva* (ſubſcribit Alapide hic v. 1.) *ſerpentem naturaliter non poſſe loqui, admirata eſt ergo loquentem.* Satius eſſet, proculcare loquentem ; maximè dum habebat poteſtatem. Proculcatio ſerpentis eximiè decora : ſed magis eo loci & occaſionis, vertere terga. *Admirata eſt ergo ſerpentem.* O ſus Bœotica! Miraris ſtellionem? Sub luce lues. Baſiliſco non prævіſo exanimaberis. Quia loquitur ſerpens, mirè ſtupes ; & non avolas? Ecce ſerpentum ſingularis calliditas : primò etenim mentem allicit rutilans maculis, quaſi novum & mirum ; perindeque quaſi illecebris vomit venenum.

*Alapid. In tentatione fuga victoria.*

*Blandè introducitur venenum.*

Denique. *Serpens*, ut ex ſententia Pauli Burgenſis hic *Addit.* 3. in *Geneſ.* 3. autumat Oleaſter (eſtò de lucutione ſerpentis palinodiam cantat, in præfixa operi retractatione ante commentaria in *Geneſ.*) Lyranus, Petr. Comeſtor, Dydimus in *Caten.* Lipomani, & Bonaventura in 2. *Sent. diſtinct.* 21. *Ante hominis deceptionem altis pedibus, veluti cætera animalia, altè inceſsit.* Serpens altis pedibus, & principiſſa non fugit? Serpens ſerpit, & conſtituitur, ut ſerpat. Erecto illo, iacitur rete, ut fœmina incautè corruat. Quomodò principum prævalebit dominatio, ſtante in pedibus colubro? Illi ſanè ſerpent, & ſerpentes erigentur ab humo. Profectò dedecori maieſtatis turpis ſcena, coràm principe ut floreat ſerpens in gralla. Vernaculè. *Theatro es indigno de principes circunſpectos, permitir que hombres malignos eſtèn en zancos.* Verùm hoc infra *Didaſc. ſeqq.* Quaſi de rivulo huius ſerpentini fontis oritur forma exitialis politices : cæterum ut vigeat decore & auctoritate Reſpublica ; reptilia nec admittantur ad genua.

*Serpens ante lapſum hominis erectis pedibus.*
Burg.
Oleaſt.

*Principis dedecus, impius ſuperexaltatus*

7 In colubri inflicta pœna (quam luit, æternumque luet, quoniam mortu ſimilitudinem imaginis cordolio Opificis abolevit) ſpecimina ſupremus iudex recti regiminis prætulit : quatenus primiparentes honori conſulerent, & cautius in ſerpentium rationalium moderamine ſe gererent. Homines etiam poſt exilium homines Principes moderari, iurèque à rectitudine devios in ſemitam reducere ; rationi omninò conſonum : & vigebit rationalium in rationales imperium ; ſi ſtabilitur modus moderationis iuxta regulas iuris. Intende. Excuſationis velamen viciſsim rei prætexunt, ut culpam à ſe dimoveant ; & ſeſe iugulant. Adamo dicitur : *Ubi es?* Fœminæ: *Quare hoc feciſti?* Hem! *Serpens decepit me*, reſpondet: & illicò ſerpenti iudex: *Quia feciſti hoc, maledictus es ::: ſuper pectus tuum gradieris.* Cur non interrogat iudex, *Quare hoc feciſti?* Qua lege ſerpentis repellitur excuſatio? Excuſationem non habet de peccato ſuo: ſimiliterque aſſeclarum colubri (quique garriunt in tranſgreſsionis ſubtegmine) vox faucibus hæret frequenter in confeſsione. Nec ſerpens exauditur, nec vafer loquitur. Divinum iudicium! & ut principes ſcirent, licet lapſi, ſubditos venenatos minimè locuturos, neque quantumlibet exſibilent, exaudiendos.

*Forma regiminis, quo pacto in iudicio de ſerpente?*

Verſ. 14

*Rubor confeſsionis criminis à diabolo.*

*Serpens non exaudiendus.*

*Super pectus tuum gradieris.* Opportunè pœna infligitur ſerpenti, qui erectis pedibus paradiſum ingreditur. Conſonum ergo erat divinæ iuſtitiæ maſtigi pervicacis audaciæ, quòd qui petulanter erectis cruribus ingreſſus eſt ambulando, ſuper pectus (quaſi novacula in cotem) egrederetur ſerpendo. In opprobrium ergo facti icitur ſerpens hoccine fulmine : ita ut qui paulo antè volare tentaverat, ſubitò ambulare non poſſet : & qui pennas aſſumpſerat, pedes amitteret.

*Serpens pedes amiſit, quia alas aſſumpſit*

Cæterò perpendas caput contritum in perfricta fronte, & occurſum de ſententia antiqua viperæ & limæ. *Super pectus tuum gradieris.* Actum eſt. Verùm qualitèr, & quomodò graditur, qui invericundè altis pedibus ſerpens innititur? Reptat ne pedibus, ſerpit cruribus? Sanè, & iurè : pedes habet, & non ambulat. Ambitui pœna acrior, & vindicta congruentior. Non eſt illi commutatio, licet in nomine appareat eius ſtimuli punctio. Homo tranſgreditur, ſerpens prætergreditur, uterque in iudicio congreditur: & in tribunali, ubi quaſi in limine cœleſtis ultio; *Tunc ſerpens erectus ut homo* : inquit Petr. Comeſt. *Hiſt. Schol. in Geneſ. cap.* 21. Erectus, ut homo. Verùm Iudex homini erecto os ſublime conceſſum prætermiſit : colubro verò erectis pedibus, iuſsit, ut ſuper pectus incederet ; quoniam hominibus, utpotè rationalibus, vaſi figuli, naturæ fragili, etiam à Deo ultionum aliquando indulgendum ; verùm ſerpenti ſepelitur *aliquando*. In vanum conceditur excuſationis exauditio, ubi criminis deſperatur emendatio : & ne inoleſcant flagitia, floreant noxia, atque ſcelera perpetrentur ; erit Senatus conſultum, ut perperis venenatis crura frangantur.

*Acrior pœna ſerpentibus, ſerpere cruribus.*



Petr. Comeſ.

*Non exaudienda excuſatio, ubi deſperatur correctio.*

8 Fixus erat Rex regum crucis trunco, aptiùs ſolio ; ſiquidem regnavit à ligno. Ubi fixa erant membra morientis, ibi etiam cathedra cœleſtis præceptoris. *Fixus*, dixi, *crucis ſolio* ; ut nemo crucis onus excuteret in officio. Succubuit igitur oneri, ſed non deſcendit de cruce. Diſcite regere, & regi præſcriptis divino ſanguine. Pari curſu fluunt amor & odium. Ille inſigniter ultra finem, hoc turpiter ultra mortem. Patet : equidem miles cæculus (iam mortuo) *lancea latus eius aperuit.* O voluntas ſceleratiſsima! O Principum conditio periculoſa! Minimè ſicut homines moriuntur : cadunt plerunque affecti dolore laterum. *Num.* 33. v. 55. *Ioſue* 23. 13. 2. *Reg.* 20. 10. *Iudith.* 6. 4. Quapropter gnaviter (ut patet 2. *Reg.* 16. v. 6. & *Ierem.* 20. v. 10.) à dextris & à ſiniſtris cuſtoditur principis latus; quia à lateribus ſæpe lethale vulnus.

*Suſtineatur onus culminis*

Ioann. 19. 34.

*A latere ſæpe Principi vulnus.*

Lateri cordis perfixa pila. Caſu ibi deflexit cæca, militis inſtar, furens fortuna? Caſu neſcio, ſed non in caſſum. Duo latera, dicam aptiùs, duos laterones hinc, & hinc habebat Princeps in cruce pendens. Bonum, ſive converſum à dextris ; malum atque perverſum à ſiniſtris. Iam ergo malum prænoſcitur, cùm Chriſtus ſic & ſic princeps in cruce ſuſpenditur : equidem proximo cordi, lancea pupugit à ſiniſtro latere. Nos dialecto vulgari dicimus: *Malos lados.*

*Et gravius à ſiniſtro latere.*

Præterea. Bilis adhuc poſt mortem excitat iram, & pectori poſt obitum infigit lanceam. Furor non quieſcit : & requirens inſatiabilis in viſcera opportuniorem introitum; occurrit per latus ſiniſtrum perperum : igitur tantummodò per nocuum latus, lancea tranſadigere poterat principis pectus. Inſuper. Sinè noxa, etſi cum noxis lateribus, patitur pendens innocens princeps : à diro vulnere non vindicavit integritas, licet fulgeret inaudita charitas : igitur nullum maius inter tot mala ; quàm quòd miniſtri à latere ſubdola induſtria, principis innocentis torqueantur viſcera. Liquet dedecus. *Alij duo nequam cum eo* : dicit Lucas. Ecce quomodò moritur iuſtus. *Alij nequàm*! Ieſus ſic? O bone Ieſu! Propter laterones & latrones inter iniquos reputatus es. Obſerva. *In diebus carnis ſuæ* (ideſt in cruce, vel morte) *cum clamore valido, & lachrymis* ; inquit Paulus. Cur clamat, & validè? Quare lachrymatur, & profundè? Quod propter nos in cruce oſtentum ut pœna, in Principum aulis conficit culpa : etenim in morte planctus & fletus, eritque clamor validus principi, habuiſſe latrones, miniſtros deteſtabiles à latere.

*Aptiori punctioni.*

*Princeps patitur laterum mala.*

Luc. 23. 32.

Hebr. 5. 7.

*In morte plorantur.*

9 Digreſsionem, licet utilem propter propoſitum, interſecemus. Patent enim viſcera Principis à lateribus ſaucia; ſed in ſucceſſu rutilat præſentanea medicina. Intendite : *Ad Ieſum cum veniſſent, ut viderunt eum iam mortuum :::: unus militum lancea latus eius aperuit.* Cæterùm ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, latronis *primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.* Faciliùs autem non erat vel ſagittis configi, vel lanceis perfodi, vel funibus ſuffocari? Faciliùs, ſed iuſtitiæ nullatenùs congruius. Miniſtri aderant (quanvis in cruce) iudici, principique à dextris & à ſiniſtris in funeſto & tragico tribunali: iurèque decernitur, ut non lanceis, ſagittis, vel funibus vita priventur; quia Reipublicæ commodius, quòd latronum miniſtrorum crura frangantur. Vulgò: *Porque à malos miniſtros, por ſus culpas, es lo mejor, el quebrarlos las piernas.*

Ioann. ubi ſup. Verſ. 32

*Malis miniſtris aptior pœna, frangi crura.*

Elegit Princeps Ieſus hæc latera in probrum, & evaſit electio probrum Principis. Hinc lancea traducitur nobile pectus. Sæpe cor regum dolet, ſi removetur à latere proximus. Ideo ab Angelo percutitur in latere Petrus, Apoſtolorum Princeps; ut citiùs expergiſcatur à latere dolens. Unde Redemptor N. roſcidis guttis ſudat ſacri cruoris, avulſus à diſcipulis, quantum iactus eſt lapidis. *Avulſus*, quoniam invitus. Lex enim præcipit, quòd crucifixorum crura rumpantur, ut quamprimùm tollerentur. Vel pilo (digito, mortis inſtar) tangi latera, dolet princeps, quaſi de tacta pupilla : verùm cùm ratio decernit, & lex præſcribit, quod fractis cruribus miniſtri à latere removeantur; Senatus conſulta executioni mandentur : quantumlibet pectori principis ſit quaſi lancea, quod miniſtrorum eius frangantur crura.

Actor. 12. 7.

Luc. 22. 41.

*Impios à latere amicos præſes removeat, eſtò remotio pungat.*

Obi-

Obiter obſerva ly *Primi fregerunt crura*, videlicet, eius qui erat à dextris bonus latro, & amicus tunc principis in crucis throno. Si iudicio ſupplicium infligendum, incipiat igitur à quoquo laterum. Non. Ut iudicium recte procedat, iudex princeps intimiori non parcat. Magis lex, quàm latro amicus: ſæpe enim felix latro, qui a dextris regi proximus, & quia proximus regi. Iam ergo prædo expiaverat confeſsione flagitia, ſed deerat adhuc in exemplum vindicta publica: & conſenſu principis exule vinculo familiaritatis, removetur confractis cruribus pendens in cruce; ut legibus cedat, licet primus à rege. Conſonum igitur ſupplicium geniminibus huiuſmodi viperarum. His contigit, quod ſerpenti ingredienti in paradiſum. Par quidem erat, ut deſcenderent fractis cruribus, qui flagitijs aſcenderant erectis pedibus.

*Lex vel amico intimiori non parcit.*

10 Præſes omnium Adamus à patria in utiliorem, iucundioremque paradiſi transfertur, *Ut operaretur, & cuſtodiret illum. Ut operaretur*, quia præſes ſordet in ſolio ſine muneris exercitio. *Ut operaretur*: ſtatuta operationis politica, ut eradicarentur ſubditorum zizania: langueſcit enim floribus viridarium, dum floret lolium. *Ut cuſtodiret. A feris*, ait Baſilius *Homil.* de *Paradiſ.* A ſerpente arbitror. Quare? Promam.

Geneſ. 2. 15.

Baſil.

Inter malos & bonos, quos ſervi regis invenerunt; de uno tantùm Princeps queritur, & interrogat: *Quomodò huc intraſti*? Alij mali ſibi, hic ſibi, & alijs; unde licet vocetur amicus, non parcit oculus. Boni & mali vocantur ad nuptias, neque expelluntur. Cur ergo hic licet malus & improbus proteritur, & à conclavi vinctus excluditur? Dignè tamen. Honor maximus vocatis ineſt, & illi ſe præparant, quoniam vocati. Ut improbi, & quia improbi vocantur, ſed probi domum regis ingrediuntur. Iſte vocatur malus, & in vocatione adhuc permanet peſsimus. Quid inde? Eſtò. Sed hæc quæ ſunt inter tantos? Maximi ponderis. Bonis enim aſcendentibus ad honorem, ex perperis venenatis nec unus quidem: etenim eius ingreſſus quaſi lues ſerpet & contaminabit bonos. Cuſtodiat ergo Adamus paradiſum à ſerpentis incurſibus, ut nulla rimula ingrediatur venenatus. Haud miſereatur ſerpenti, ne cæſpitet impia commiſeratione: quippe illo duntaxàt clanculum, & reptim ingreſſo, lugebit lapſum expulſus è paradiſo. Cuſtodiat ergo paradiſum maximè à colubro: fas enim non erat, quòd cui Deus ut indigno occluſit meritò aditum; quia præſes factus, in ruinam prætermitteret introitum.

Matth. 22. 11.

*Nec unus quidem improborum eligendus.*

*In cervicoſum indulgentia crudelis miſericordia.*

11 Hac (quantum auguror) tumida, pietate, miſeratione crudeli, quaſi cuniculis pulvere ſulphureo repletis ſolidè, ſubruunt inopinatò Reſpublicæ. In Noë, Adami Deus compeſcuit huius humanitatis flagitium, arcens vera pietate mali contagium. Quia de ſerpentinis hominibus iudicium profertur, teſtimonium perſpicuiùs dilucidabitur. Terra repleta erat iniquitate; & delere decrevit hominem Opifex miſericors, compunctus corde. Ad renovationem orbis mali pereunt, ſiquidem improbè capitones nec malo ſapiunt: mores duntaxàt in ſtipite exuunt. Hoccine divinum iudicium: Noë verò ad totius generis reſervatur ſeminarium. Hunc ergo cum cæteris, facta arca, *Incluſit Dominus à foris*. Oleaſter hic: *Clauſit Dominus ſuper eum*: nimirùm, *Claudens oſtium*, dicit Saa in *Annot.* Claudens, quaſi arcæ clavem ſibi ſervans intuitu ſecuritatis; eòque cuncta clauſit à foris. Iuſtè quidem. Verùm ambigitur, qua de cauſa Dominus clavem arcæ abnuit Noë, cui dixit, ſolum eſſe iuſtum, dignumque benevolentia in generatione illa? Ille incubuit operi, fideliter munus implevit. Cur ergo, ſi illi cunctorum creditur regimen, Deus non tradit arcæ clavem? Deinde. Oſtium ab introrsùm Noë poterat obtrudere navis: quare ergo Deus clauſit à foris? De improborum pravis moribus, ac apud Cœlicolas caſſa inani fiducia, arridebit nobis non incongruè ſententia, *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 3. *num.* 3. Modò ad rem.

*Cur Dominus Noemo non tradidit clavem arcæ?*

Geneſ. 7. 16.

Oleaſt. Saa.

Omnia fideli ſervo committit iudex, ſed ſibi arrogat exitum & introitum; cùm inter vortices hians, mundus ſubit naufragium. Quàm mortiferum virus, & immedicabile vulnus! Igitur inſigne divinæ clementiæ, genus humanum, ne moriatur, mori. Securi aquarum (ſiccine miſericordia? Qualis iuſtitia!) univerſum iugulat. Tarditatem vindictæ Deus Opt. Max. gravitate compenſat. Quanvis ad arcam accederet ullus, & quaſi in portum appelleret naufragus; intromiſſus moreretur abſdubio, ſententia leta, efficaci decreto. In navi & in aqua gravaretur Tantali lapide, igitur quodlibet quodlibèt æquo calcat mors pallida pede. Ingrederetur & non egrederetur: atque Noë præſidi clavis ſubtrahitur; quippe turpe dignitati, eligentis propoſitum; ſi intromiſſus impensè non habet exitum. Dialecto Hiſpana vivacius. *Sirve de deſdoro à la dignidad, hazer empeño de dàr entrada al que no tiene ſalida.*

*Improbus ſub Iove ſemper. Inauſpicatò ingreditur in principatum, qui non habet exitum.*

12 Oſtium utique introversùs claudi quibat, ſimiliterque patefieri poterat, maximè lamentis affinium, & conſanguineorum clamantium, vel oppetentium: clauditque Dominus meditanter à foris; ut nec unus





excipiatur vel de propinquis: quandoquidem uno duntaxàt proſcriptorum in navi, navis profectò periclitaretur conteri. Patet: Quod contuitu humanitatis in proximos boni faceret, in moſtrum crudelitatis minus cautè confingeret: igitur idem foret, concedere ingreſſum, ac experiri naufragium: tuncque temporis clauſit Dominus, minimè ſtomachatus, ſed miſericors: miſericors, ne reprobus in arcam exequeretur intruſus, quidquid mali in paradiſum coluber amarulentus. Sapere expedit alieno capite; ne durum ſit, vel creperum reſipiſcere: primos quidem præſides compulit expelli, ſimulac indulſerunt reprobum ingredi.

*Vel uno impio navis regiminis periclitatur*

*Nocentiũ conſortiũ innocentium exterminiũ*

Multoties miniſtri principum ducti ratiocinijs inanibus, ſive importunitatibus dignitati nocentibus (vel ſi elleboro indigent, ut etiam delirijs benedicantur ſolemnes) ingerunt in navem præſulatus quoſcumque invenerint, fæces Reipublicæ, qui quidem à prudentioribus fiunt & meritiſsimè pili & flocci. Nullo modo contemplantur abiectos eſſe & ſordidos, cucurbitas, atque pepones inſipidos: imò gloriantur eorum obſequijs, quaſi Probatica circundata languidis; ad quos *Quinque porticus*, & non portas habent: igitur porta aperitur & clauditur, porticus verò ſine obicibus quibuslibet ingredientibus: & languidis, claudis, cæcis, ſurdis, atque huius farinæ hominibus ſemita pervia; quoniam faſtoſis præſidibus, his ut par eſt, nunquàm occluditur porta. Diſcant à cœlo. Accedunt pulſantes virgines, cæterùm virgines inſipientes. Ingrediuntur? Nullo modo. Inde profectò præſidum cuſtodum rutilat ampliſſima gloria, ſi fatuis ac inſipientibus clauditur ianua. Dominus ideo mundo naufrago abnegat clavem etiam fideliſsimo miniſtro: ne fortè precibus, importunitatibus, vel clamoribus pulſus, cùm clavem ad manum haberet quaſi prælatus; crudeliſsima pietate præberet ingreſſum, quibus Deus meritò obturaverat oſtium.

*Fumivenduli ratiocinia.*

Ioan. 5. 2. *Similis Piſcinæ Probaticæ.*

*Inſipientibus claudatur ianua.* Matth. 25. 10.

*Non concedatur ingreſſus, cui Deus abnuit.*

13 Denique. Quotquot recipi poterant, ad monita & ſuaſiones aſpides ſurdæ obturaverant aures: ita ut perfatui, in arcæ fabrica per tam longi temporis diuturnitatem, quaſi nugas, ſenis nænias, parvipenderent tabularum ſtrepitus & fragorem. Correctionem Deus deſperat, quia non habet ſuper quo percutiat. Quid hìc agendum? Quod à ſapienti medico. Reſecandum. Apotheca medicaminum eſt exhauſta, ſimiliter ſolicitudo & induſtria: cùmque peior in dies indureſceret pectoris vomica, neque ad meliorem mentem reduceretur obſtinata perfidia; delere quem formaverat, decrevit hominem: & Noë ſuperſtiti, licet præſidi credidit nullatenùs clavem, imò ſeram illuſtris navis providè clauſit à foris: ne cùm clamor vi aquarum intercluſorum auditur; vel minima pietate in illos commoveretur.

*Pietas in malos crudelis.*

Aliquibus DD. (de quo alio acumine *Tautolog.* 5. *Didaſc.* 3. num. 3. & 4.) placuit, oſtium in latere arcæ fuiſſe, quod quidem occluſum à Domino: feneſtram in tecto factam de ſpeculari lapide, vitro, aut cryſtallo. Petr. Comeſtor. Oleaſtr. hic & Doctiſ. Pererium in *Geneſ. lib.* 10. *diſput.* 9. conſule. Cur igitur non figitur pellucida feneſtra, ubi deſignatur ianua? Per eam uti per translucidam cryſtallum, ſtragem hominum videret Noëmus. Levamen ſane miſeris, ubi retrahitur ab auxilio manus, quòd parcat oculus, & doleat pectus. Sufficitur loco optati favoris ſubſidium humanæ pietatis: & ſubtrahitur feneſtra lateri, ubi occluſum oſtium; ut non haberent perituri ſpectaculi ſolatium: igitur ita pleni erant impietate & iniquitate; ut indigni fuerint aliquantula levi illa commiſeratione. Hoc igitur agendum. Reſecandum: nec illos videre, nec audire, cùm vulnus apparet immedicabile.

Geneſ. 6. 16.

Petr. Comeſ. Oleaſt. Perer.

*Nec miſeratione, nec commiſeratione digni.*

14 Hippocratem *lib.* 7. *Aphoriſmor.* 74. libenter audias; ut quid agendum in huiuſmodi Reipublicæ ſtatu ſine labore perdiſcas. *Quæcumque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat: quæcunque ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæcunque ignis non ſanat, incurabilia exiſtimare oportet.* Non ait: *Incurabilia ſunt*, ſed *incurabilia exiſtimare oportet*: ſiquidem oportet ita cognoſci, ne tempus & opera terantur indignè. Ecca regula & medicina in affecto corpore, qualis igitur in morbida mente? Excelſiorem habemus medicum & malagma probatum. *Abbas* (inquit S. Benedictus, *cap.* 28. *Regul. Sanct.*) *faciat quod ſapiens medicus. Si exhibuit fomenta, ſi unguenta adhortationum, ſi medicamina ſcripturarum divinarum, ſi ad ultimum uſtionis excommunicationis* (ideſt recluſionis) *vel plagas virgarum* (quia ſunt verborum) *& iam viderit nihil ſuam prævalere induſtriam; adhibeat etiam quod maius eſt, ſuam & omnium fratrum pro eo orationem; ut Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa fratrem. Quòd ſi nec iſto modo ſanatus fuerit; tunc iam utatur Abbas ferro abſciſsionis, ut ait Apoſtolus: Auferte malum ex vobis.* Hæc S. Benedictus. Iam non datur ambigendi locus erga ſerpentium contagium.

Hypp.

*Modus curationis.*

S. Ben.

*Ordo correptionis.*

*Immedicabilia expellenda.*

Immedicabile vulnus enſe recidendum.

(?)